


356. 360. 357

361. 31659.


356.360.357
361.31659.

szek. 28. Polcz 6



Szereztük báró Prónay Sándor
Tó-almási könyvtárával 1891.





APOLOGIA

PRO SYNODO
SOLIMENSI, EIVSQVE

CONSTITUTIONIBVS, QVAE
IN HUIUSMODI CONVOCATIONIBVS
Abbatibus, Abbatibus, D. Franciscus
de Chines, & Archiepiscopus
in Strigonia, & Roma,
beatus Cardinalis.

Summi Pontificis
Sancti Petri ad Vincula



EXPLICIT
TYPIS JOHANNIS WITTEL
M. DC. X.



L
2006

(600)



Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
© The Tiffen Company, 2007

LOGIA

SYNODO
L. EIVSQUE

IONIBVS: OP-
CONTRADICTIONI
strifsimi D. Francisci
nes, Archiepisco-
en. & Rom.
siae Car-
nalis.

lat 5.
erum iugo servitutis
nineri.



SOVIÆ
hannes Fischer.

OC. X.



M. V



L
2006

(6ll)

APOLOGIA

PRO SYNODO
SOLNENSI, EIVSQVE

CONSTITVTIONIBVS: OP-

POSITA TVRGIDAE CONTRADICTIONI

& inhibitioni Illustrissimi D. Francisci

Forgach de Ghimes, Archiepisco-
pi Strigoniens. & Rom.

Ecclesiae Car-
dinalis.

Galat 5.

Stare, & nolite iterum iugo servitutis
contineri.



CASSOVIÆ

Excudebat Iohannes Fischer.

M. DC. X.

M. V

1854

ATOLUCA

PRO SYNOBO

CONSTITUCION

LA TERCERA

ADICIONAL

AL CONSTITUCION

DE LOS ESTADOS UNIDOS MEXICANOS

En la Ciudad de Mexico a los...



CASO N.º...

Excmo. Sr. Jefe de la...

M. D. C. X...



NOS DOMINI BARONES, MAGNATES, Generosi, Egregij, Nobiles, Prudentes & Circumspecti, Reverendi item Ecclesiarum Evangelicarum Ministri ex Comitibus & Partibus Hungariæ cisDanubianis, Anno 1610. die 28. Martij & sequentibus Solnæ congregati, & in Actis Synodicis nominatim expressi: notum facimus palàm & publicè, nos non sine singulari animorum perturbatione vidisse ac legisse intempestivum ac injuriosissimum scriptum Reverendissimi D. Cardinalis, Francisci Forgach de Ghimes, &c. typis excusum, & Posonij valvis templi ad D. Martini affixum. In quo ille omnia Synodi nostræ Acta & Statuta, quasi communi iusticiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus, & Dei decretis contraria, exautorare, annihilare, & invalidare, diro etiàm anathematis & excommunicationis fulmine addito, conatur: Nosq; ipsos perturbatoribus Ecclesiæ Dei indignissimè proclamat, & insuper multiplicium errorum accusat. Quæ cum sint longè omnium gravissima, & vel Socraticam patientiam exuperantia

2.
crimina: facere lacefsiti non potuimus, quin
& laboranti famæ noſtræ ſuccurreremus, & Sol-
nenſium Actorum rationem publico ſcripto
redderemus: nè aliôquin ea, quæ nobis ini-
quiſſimè obijciuntur, noſtro ipſorum ſilentio
approbare, & aduerſario non laceſſito herbam
porrigere videamur. Præſertim cùm intelliga-
mus hoc ipſius ſcripto, non tam A. la noſtra
reprehendi, quàm ſummum illum de Religio-
nis libertate & Superattendentium conſtitu-
tione Articulum, Anno 1608. ſancitum, &
ſacroſancta jurisjurandi Religione, per Sacra-
tiſ: Regiam Majeſtatem, noſtrum Clementiſ-
ſimum Dominum roboratum, proſus convel-
li, & labefactari. Quarè, relictæ Autori ſuo
convitiis, quibus nos injurioſiſſimè proſcin-
dit, ad rem ipſam recto pede protinùs accede-
mus. Tres ille generales cauſas proponit, cur
Synodo Solnenſi & omnibus Actis ejus con-
tradicat.

I. Quidem, quòd illegitimè Superat-
tendentes noſtros in ea creaverimus.

II. Quòd ad multiplicia errorum por-
tenta Miniſtros noſtros obligaverimus.

III. Quòd jus alienum nobis temerè
uſurpaverimus. Ad quæ omnia paucis
ex ordine reſponſuri ſumus.

Primam

3.
PRimam igitur causam suam his verbis D. I.

Cardinalis proponit: Ab ipsis (inquit) Ecclesiæ nascentis incunabulis, postquam Apostolico Ministerio Ecclesiarum Rectores Episcopi sunt constituti, nunquam pro legitimis sunt recepti Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit. Probationis loco allegat Canonem Nicænum, qui vult Episcopum à tribus aliis (ad minimum) Episcopis ordinari, & quidem ita, ut autoritas Metropolitanus habeatur: aliòquin ordinationem fore irritam. Et addit inter cæteros Canones, istum quoque in Augustana Confessione approbatum esse. Atque sic concludit, quoniam nostri Superattendentes contra Canones electi & ordinati sint, non solum non legitimos, verum etiã in ipsam Augustanam Confessionem perjuros esse.

Sed ingenuè respondemus, omninò Episcopum ab Episcopis ordinari par erat, juxta Nicæni Concilij dispositionem, si modò veri & Orthodoxi Episcopi haberentur. At ubi tales desiderantur, & illi qui titulum Episcoporum gerunt, veram Evangelij doctrinam oppugnant, necquenquam, nisi in professionem ipsorum juraverit, initiant: Nonne licet Ecclesiæ, tanquam Matrifamiliã in domo DEI viventis, cui Christus claves commisit, talibus larvis Episcoporum relictis, alios synceros creare Episcopos, & quidem per eas personas,

A iij quas

Ruffin. l. 1.
c. 6. Can. 4.

Tit. de abu.
sib. mutatis.

Matth. 18.

quas ad ordinandos illos Idoneas esse judica-
 verit, Seniores nimirum, sive Presbyteros? Do-
 cet id exemplum Ecclesiæ primitivæ Apostoli-
 cæ, quæ electas ad Episcopatum personas, Ti-
 tum, Timotheum, &c. non ad ordinarios Iu-
 dæorum Pontifices Hierosolymam ablegavit,
 sed per impositionem manuum Apostolica-
 rum & Presbyterij recens constituti consecra-
 vit. Et quod erit os tam impudens, ut neget
 Titum vel Timotheum legitimos esse Episco-
 pos? * Quod exemplum præclare imitatus est
 Moyses quidam Eremita Sanctissimus: qui po-
 stulatus in Episcopum genti Saracenicæ, noluit
 ab ordinario Episcopo Lucio (utpotè hoste
 & persecutore Orthodoxæ Religionis) ordi-
 nari: sed ab Orthodoxis, quos iste in exilium
 egerat. Ita Iosaphat Pontificibus & Sacerdoti-
 bus partim cessantibus, partim Lucos, excelsa
 &c. colentibus, populo autem ambulante in
 tenebris, ipse ministeria constituit. Canon itaq;
 Nicænus dum vult Episcopum ab aliis Episco-
 pis consecrari, loquitur de eo Ecclesiæ statu,
 quando veri & Orthodoxi Episcopi habentur:
 Non autem quando tales desiderantur. In hoc
 enim casu licere Ecclesiæ novum Presbyterium
 constituere, & secessionem à fictis Episcopis
 facere, exemplis jam citatis evicimus. Habemus
 autem

1. Timot. 4. 5.
 2. Timot. 1.
 Actor. 13.

* Ruff. 1. 6.
 cap. 6.

3. Para. 17. 19.

autem de hac secessione, urgentissimum quo-
 que Dei mandatum, quod est, ut caveamus
 Pseudopphetas, ovillâ veste larvatos, & egre-
 diamur è spirituali Babylone: nec ducamus
 jugum cum incredulis, quin potius separemus
 nos ab illis. Oportet igitur Deo magis obedi-
 re quam hominibus.

Matth 7.
 Apoc. 18.
 Esa. 52.
 2. Cor. 6.
 Actor. 5.

Quantum ad Confessionem Augusta-
 nam, quam Dominus Cardinalis ita urget,
 quasi Canones omnes indifferenter, nulla cum
 determinatione approbet: mentem ejus verba
 ipsius libri satis clara & manifesta testari pote-
 runt. Ea sic habent: Ecclesie apud nos de nullo Arti-
 culo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica: tantum paucos
 quosdam abusus omittunt, qui novi sunt, & contra volun-
 tatem Canonum vitio temporum recepti.

In articulo
 de abusus
 mutatis.

Etenim ordinationis ritum non inter fi-
 dei Articulos refert Confessio, sed inter eas res,
 quibus vitio temporum multi abusus accesserunt:
 quorum nonnullos sub titulo de potestate
 Ecclesiastica recenset: ut quod Episcopi ur-
 gent traditiones tales, quæ bona conscientia servari non possunt,
 imperent Cœlibatum, & nullos recipiant nisi iurent se
 puram Evangelij doctrinam nolle docere. Tandem ad-
 dit, nisi ista & alia remiserint, causam Schisma-
 ti sua contumacia præbituros. Quod igitur
 jam tùm protestata est Augustana Confessio,
 hoc re ipsa postmodum evênit, separatio videlicet
 Ecclesiarum Evangelicarum à Synagoga
 Papisti-

Papistica, cùm in aliis rebus, tùm in ordinatione Ministrorum. Quomodo igitur in Augustanam Confessionem perjuri nostri Superattendentes? quasi contra ejus præscriptum, sint electi & ordinati? certè illa jam tùm, cum exhiberetur à Canonum de Ordinatione Episcopi sanctione, secessionem meditabatur, uti jam irrefutabiliter ostendimus.

Ex his quæ jam dicta sunt, sole clariùs patet, quàm ineptum ac frivolum consequens sit; Nullas à nostris Superattendentibus velut illegitimè creatis, legitimas Ministrorum Ordinationes fieri, nullum ex his Sacramentis, quæ Ordinationem requirunt, legitimè ab iis, quos iniciant administrari, sed umbratilem ac vanam esse, quæ ab iis fiat absolutionem, Eucharistiam, &c. Satis enim evidenter jam probatum est, eorum ordinationem prorsus cum Apostolica congruere: ideoquæ & legitimam esse, & haberi debere. Quare ipsum etiam consequens ex falsò præsuppositis, non nisi falsum esse potest. Ut tamen ex superabundanti aliquid addamus: Nos ex verbo divino certi sumus, quòd mandatum Dei, & vocatio faciant legitimum Ministrum. Ita enim inter alia Apostolus: Quomodo, inquit, prædicabunt nisi missi fuerint? Item: Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Ordinatio autem nihil aliud est, quàm vocationis ab Ecclesia factæ appro-

batio,

Rom. 10.

Heb. 5.

batio, in quâ vocato & examinato, Ministerium Ecclesiæ publicè commendatur, ut patet exemplis eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerunt. Vnde perabsurdum est putare, quòd virtute exorcisati Chrismatis, & insufflationis Episcopalis, aut nescio cuius fictitij characteris, in anima Sacerdotis impressi, vera Sacramenta conficiantur. Annón enim hæc hominum figmenta sunt, nullo Dei mandato, nulla promissione nitentia? Nos efficaciam verbi & Sacramentorum simpliciter ad Dei mandatum, institutionem, & legitimam vocationem, iudicio Presbyterij approbatam, referimus. Nam quibus legitimè officium docendi, absolvendi, & Sacramenta administrandi commendatum est, eorum Ministerio Deus præsentissimam efficaciam infallibili suo verbo, promissit. Ego vobiscum sum usq; ad &c. Item: Accipite Spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata, &c. Euntes docete &c. Item: Panis quem frangimus, nonné communicatio corporis Christi est? Ac mirum profectò, cur Pontificij Doctores, verum & efficacem Baptismum ab his etiam qui non sunt ipsorum Ordinationis administrari statuunt: Absolutionem autem & Sacramentum Altaris, à talibus administrata, umbratilia & vana pronunciant? Con-

Matth. 28.

Ioan. 20.

1. Cor. 10.

stat certè tam in Baptismo, quàm Cœna Domini remissionem peccatorum, justitiam & vitam, (nisi evidens incredulitas obstet) conferri. Si igitur in uno Sacramento Ministerium nostrum efficax est, cur non etiam in altero?

II. **A**ccedamus ad alteram causam Contradictionis Cardinalitæ, in qua ille ampullatis, & sesquipedalibus verbis tragicè intonat: quòd gravissimis, & ab omni humanitatis, nèdum Christianitatis, sensu alienissimis errorum portentis populo proponendis adstringit Solnensium Conciliabulum infelices Prædicantium animas. Ita enim libuit Domino Præsuli Sanctissimam Synodum nostram, quàm aliàs Pseudosynodum & Conciliabulum pro sua scilicet Episcopali modestia vocat, infamare. Sed quænam illa errorum portenta? Tria ista ex Libro Concordiæ, (ad quam Ministros Ecclesiarum Synodus adstringit) excerptit pater Reverendissimus. 1. Evangelium esse, propriè loquendo tantummodò Concionem de Gratia & non de pœnitentia. 2. Dominum in lege sua tanta à nobis exigere, quorum nos nihil præstare possimus. 3. In homine nullam superesse capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut Vires, quibus in rebus Spiritualibus, cooperari valeat ad bonum aliquod. Tandem ex his concludit: quid adhuc satagimus in Iustitia & sanctitate ambulare?

1. Sed liber ille Sacrosanctus, satis pro se ipso loquitur. Nam ut ad primum objectum respondeamus in Epitome Articulorum ita se

Carite 5.
Thesi 56.

se declarat: Si vocabulum Evangelij de tota Christi doctrina accipiatur, quam ipse in Ministerio suo, quemadmodum & ejus Apostoli professus est, (in qua significatione Mar. 1 & Act. 20. vox illa usurpatur) rectè dicitur & docetur Evangelium esse Concionem de pœnitentia & remissione peccatorum, &c. Quando verò Lex & Evangelium (sicut & ipse Moses, ut Doctor legis, & Christus ut Doctor Evangelij) inter se conferuntur, credimus, docemus, & confitemur, quòd Evangelion non sit Concio pœnitentiæ arguens peccata: sed quòd propriè nihil aliud sit, quàm lætissimum quoddam nuncium & Concio plena consolationis, &c. Item Thes. 3. Quicquid extat in sacris literis quòd peccata arguit, id revera ad legis concionem pertinet. Hic jam judicet Prudens & pius lector, qualis sit consequentia: Evangelium (propriè sic dictum) est tantum concio gratiæ, & non pœnitentiæ. Ergò frustra satagimus in sanctitate & justitia vitæ ambulare? Absit; est enim adhuc alia pars doctrinæ de Deo, cujus proprium est peccata arguere, & pœnitentiam acuere videlicet lex divina, de quâ Rom. 3. Per legem agnitio peccati.

Alterum objectum è Concordiæ nostræ libro excerptum, tanquam errorem portento-

sum, his verbis Dominus Cardinalis proponit: Passionem Christi proponere iram Dei adversus peccata, ut cognoscamus, quanta Dominus in lege sua à nobis exigat, quorum tamen nos nihil præstare possimus. Sed quid hîc monstri, quid portentis, aut erroris? Etiamne hoc negaturus est, de quo nullus unquam Christianus dubitavit, passionem Christi non solum gratiam & misericordiam, verumetiam iram Dei adversus peccata nobis proponere? Certè in eo quod Deus proprio filio suo non pepercit, sed pœnam portare, & Maledictum fieri voluit, idq; ob aliena peccata: annón evidentissimum exemplum statuit, quantoperè & ipsis peccatis, & peccati patratibus irascatur? Quodsi illud solum exagitat, nos nihil eorum, quæ Deus in lege sua requirit, præstare posse: ne sic quidem, quod ipsum urat habet, modò non accipiat læva, quod divinus ille Liber porrigit, dextrâ. Reverâ enim ex propriis naturæ nostræ corruptæ viribus, & ea perfectione quam requirit lex, nihil, nihil boni præstare valemus. Ita quippe loquitur ipse Christus: Sine me nihil potestis facere. Imò ita proculdubio canit & ipse D. Cardinalis: Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Ita quoq; in ipsis templis oratur: Deus sperantium fortitudo, adesto propitius invocationib' nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas præsta

Rom. 8.
Esa 53.
Gal 3.

Ioan 15.

Prosa de Spiritu sancto.
Collecta dominica post Trinitatis.

sta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi, & actione placeamus. Enimverò etiam auxilio gratiæ Dei adjuti, nihil eorum quæ Dominus in lege requirit, perfectè præstare possumus, ut nimirum opera nostra purè bona & peccatis incontaminata proveniant. Volentibus enim facere bonum, Rom. 7. adjacet malum, hoc est, peccatum: quod ita inquinat optimas quasq; actiones renatorum, ut omnes ipsorum justitiæ panno menstruatae similes pronuncientur. Idcirco non dubitat Vir Esa 64. Psal. 14. secundùm cor Dei dicere, non esse in terra qui faciat bonum, né unum quidem: ad imperfectionem videlicet humanam respiciens. Et hæc est causa, cur nobis justitia Christi opus sit, ut scilicet imperfectionem istam tegat, ac opera nostra bona per fidem Deo accepta faciat. Quæ cum ita sint, malè concludit D. Præsul, tanquam ex nostra hypothesis, frustraneum esse in Sanctitate & justitia ambulare. Qualis enim hæc est ratiotinatio? Nos ex propriis & naturalibus nostris viribus nihil eorum quæ requirit Lex, perfectè præstare possumus: Ergo ne conari quidem debemus in sanctitate & justitia ambulare?

Tertium est quoque ejusdem farinæ, de synergeia voluntatis humanæ in rebus Spiri-

3.

Etome pi
art. 2.
Theſi 8.

Articul 1.
Th. ſi 6.

2 Corint. 3
Phil. 1. 7.

Contra op 2.
Pelag. ad Bo-
nifac. 1. 2 c. 2.

Art. 2. Theſi
negat 4. 8.

tualibus. Distinguit Liber Concordiæ statum hominis ante conversionem, & in conversione, à statu ejus post conversionem. Ante conversionem negat superesse in homine aliquam Capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam aut vires quibus in rebus Spiritualibus inchodare aliquid boni operari aut coöperari valeat, ut videlicet Conversionem suam adiuvare atque cooperari, & seipsum ad gratiam applicare, præparare, eam apprehenderé, amplecti, & Evangelio credere possit. Et rectè: non enim sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed omnis idoneitas nostra ex Deo est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Itaque & Augustinus: Dominus inquit, ut responderet futuro Pelagio, non ait: sine me potestis quicquam facere: sed ait: Sine me nihil potestis facere. Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Evangelica sententia non ait, sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium. Verùm quomodo se habeat homo, in conversione & post conversionem, ex his libri Concordiæ verbis manifestum evadet: Rectè, inquit, docetur, quòd Dominus in Conversione per Spiritus sancti tractionem (id est motum & operationem) ex hominibus repugnantibus, & nolentibus volentes faciat: & quòd post conversionem in quotidianis poenitentiae exercitiis hominis renati voluntas, non sit ociosa, sed omnibus Spiritus sancti operibus, quæ ille per nos efficit, etiam cooperetur. Itane verò hæc doctrina portentum erroris est, ab omni humanitatis & Christianitatis sensu

sensu alienissimum? Itáne patens ac apertum hominibus accersit exitium? Itáne ex ea sequitur non esse satagendum in sanctitate & iustitia ambulare, ut minùs candidè comminiscitur, nostrasquè Ecclesias palàm traducit D. Cardinalis?

Sed superest, ut ad tertiam quoq; Contradictionis ipsius causam, si causa dicenda est, respondeamus. Ait nos alienum jus nobis usurpasse, quòd (ipso tanquam Metropolitano Episcopo) invito Synodum indixerimus, & in ea decreta communi iustitiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus & Dei decretis contraria fecerimus: nimirum Censum Cathedraliticum Archidiaconi abiudicando, & appellationes ad Capitula prohibendo.

Verùm quòd ipsi Ministri Augustanam Confessionem profitentes Synodum Solnens. indixerint, hoc profectò contra suam ipsius conscientiam fingit D. Cardinalis. Quid enim his, juris in Dominos Barones, Magnates, Nobiles, aliosq; ipsorum Magistratus, præsertim in negociis publicum statum concernentibus? Certè ignorare non potest, ex ipso Actorum Synodicorum frontispicio, cujus auspiciis vel autoritate, & Synodus ipsa convocata, & negocia illius directa fuerint. Maluit tamen (fortassis ad declinandam invidiam) autores convocatæ

III.

1.

vocata Synodi solos illos nominare, quos miseram plebeculam concionibus suis in errorum laqueos inducere falso asserit.

2.

Ac non minus falsum est, quod scribit in eo nostro conventu decreta facta communi iustitiae, legibus patriis, Ecclesiasticae libertati, sacris Canonibus, & decretis Dei contraria. Deum enim testamur non ali-

um nobis finem fuisse propositum, quam gloriam Dei omnipotentis, salutem, unionem, ordinem ac disciplinam verae ipsius Ecclesiae juxta

* 1. Cor. 10.

tae praecipuum Pauli: * Omnia in gloriam Dei

* 1. Cor. 14.

facite. Item, * Omnia decenter & secundum ordinem fiant inter vos. Nec conveniens esse putavimus, causas Ecclesiarum nostrarum, praecipue autem Ministrorum, ad eorum Tribuna-

lia deferri, quos parum amicos Religioni syn-

ceriori fuisse, imò ipsorum delectari malis ha-

ctenus abundè comperimus. Quà in re praevi-

1. Cor. 6.

um Ducem habemus Divum Paulum iterum

sic scribentem: Audet aliquis vestrum negoci-

um habens adversus alterum, judicari apud ini-

quos, & non apud Sanctos?

Quod autem Reverendissimus Dominus

Archiepiscopus conqueritur Synodum hanc

vel eo nomine illegitimè esse factam, quòd

praeter ipsius voluntatem atq; assensum indicta

fuerit: est quod respondeamus. Patet enim,

neq; divino jure, neq; veteris Ecclesiae exemplis,

aut

aut consuetudine, Cardinali ipsi, provincialis Concilij indicendi jus & potestatem (quam sibi arrogat) ullomodo (nisi fortè ex supremi Magistratus mandato) competere. Nam quod attinet jus divinum, quis tam in veteris Testamenti historia hospes & peregrinus est, qui ignoret conventus & Synodos in populo Israëlitico, non ab Aarone, sed à Mose duce populi, Exodi. 19. 35.
Leu. 9. neq; ab Eleasaro Aaronis filio & successore, Ios. 7. 23. & 24. sed à Iosua, ac deinceps non à Pontificibus, sed à Iudicibus seu à Gubernatoribus populi congregari solitas? imò horum autoritate & mandato tam ipsos Sacerdotes ac Levitas, quàm alios quosvis è subditis vocatos ad Synodum fuisse? Sic deinceps Davidis autoritate, magnum illud universi populi Israëlitici Concilium, bis coactum, legimus. Sic Solomonem, & 2. Sam. 6.
1. Paral. 23. post hunc alios Reges & Duces, Asam, Iosaphat. Ioam, Zorobabilem, Nehemiam, & 2. Par. 5. plures alios Concilia in populo Israël, non Sacerdotum, sed sua Autoritate convocasse videmus.

Iam quod ad purioris & primitivæ Ecclesiæ Exempla & consuetudinem attinet, quis Synodum Nicænam coëgit? annón Constantinus Imperator ille optimus? Quis Constantinopolitanam? annón Theodosius Major? Quis

C Ephesi-

Deutér. 17.

Ephesinam? annón Minor seu posterior Theodosius? Quemadmodum Marcianus Chalcedonensem: Iustinianus rursus Constantinopolitanam. Cùm enim Magistratus sit custos utriusque Tabulæ, & habeat sibi legem Dei singulariter commendatam, rectè existimârunt optimi Principes, hoc vel imprimis ad officium suum pertinere, ut quoties necessitas Ecclesiæ requireret, Synodos & Concilia convocarent. Quorum vestigia, feliciter legens etiam Illustrissimus Dominus Palatinus noster, nihil præter officium fecisse putandus est, quod sacrum Solennem conventum, sæpissimè sollicitatus, novo quidem in Hungaria: sed laudabili exemplo coegerit.

Erat quidè̄m officium Episcoporum, ea quæ sunt propriè Religionis & Ecclesiæ curare, verùm illis in officio cessantibus, aut in Lupos degenerantibus, cur non pius Magistratus politicus, ovibus Christi Pastoralem curam impendat? Præsertim cùm jam & publicatus & confirmatus sit pulcherrimus ille, & ad conservandam status publici tranquillitatem pernecessarius Articulus pacificatorius in generalibus Comitiiis Posoniens. Anno 1608. sancitus: ut nimirum ad præcavenda inter status & ordines Regni, aliqua odia & dissensiones, una quæque Religio suæ professionis superiores seu Superattendentes habeat. Ex quo manife-

stè

stè sequitur, si Superattendentes habendi sunt :
 habendum quoq; nobis fuisse publicum Con-
 ventum, in quo communibus Comitatum
 votis, tales personæ eligendæ, creandæ, & le-
 gum autoritate muniendæ erant. Quâ, in re,
 certè Dominus Cardinalis (sat scimus) ope-
 ram suam, vel millies requisitus, haudquaquam
 nobis navâisset. Mirum autem quomodo ita
 palàm scribere audeat, nihil horum in publico Regni
 conventu definitum esse: imò non solùm jam defini-
 tum, verùm etiam ab Illustrissimo Domino
 Palatino, tanquam summo secundùm Regiam
 Majestatem, publicorum statutorum defen-
 sore, rectè, atq; ex officio, nostro cum consensu,
 in effectum deductum est, Domino Deo sit
 gloria, hostibus autem ejus confusio faciei.

De censu Cathedratico, Archidiaconis
 sententiâ Synodi nostræ abjudicato, responde-
 mus ex Paulo Apostolo: Qui non laborat non man-
 ducet. Beneficium enim datur propter officium.
 Cessante igitur officio, cessat quoq; benefi-
 cium. Hisné demus censum, qui neq; Ecclesias
 ad earum ædificationem visitant, neq; Ministros
 Evangelij defendunt, neq; purum Dei verbum
 proponi curant? Quin potius tam erga Mini-
 stros Ecclesiarum nostrarum: quàm erga do-
 ctrinam repurgatam hostili sunt animo? Nec
 est quod antiquam seculorum aliquot possessionem & consue-
 tudinem

4.

2. Thef 3.

ordinem nobis obiectent. Etenim contra Christi Ecclesiam, ejusq; libertatem, non potest habere locum, ulla quantumvis longa præscriptio, nulla etiam inveterata & vel myriadibus seculorum approbata possessio. Et si enim de veris Ecclesiæ Pastoribus Christus pronunciavit, dignum esse operarium mercede sua: tamen si operarius non operetur, aut contra voluntatem Domini sui operetur: quâ conscientia, qua fide, quo ore mercedem sibi reddi urgebit? Hoc certè rerum & Ecclesiæ statu, Domini Prælati in Ecclesiis Augustanam Confessionem, neq; mittendi, neq; ordinandi, neq; confirmandi jus Ministros nostros habent: & audent censum poscere? Quid aliud est communi justitiæ adversari, si hoc non est? Quod autem in scripto suo Dominus Cardinalis addit, etiam si horum aliquid in publico Regni Conventu definitum foret; quia tamen sacris Canonibus Ecclesiæ adversetur, invalidum esse debere: Videat ne nimis calidum bolum ori suo ingerat. Annón enim hoc est in Sacratissimam Regiam Majestatem, & amplissimos Regni status (quia de libero Religionis exercitio & creandis Superattendentibus decretum fecerunt) nimis audacter lingvam ejicere, imo publicæ pacis fundamentum subruere? Allegat ille quidem ex Prologo Tripartiti, non valere statuta, si sacris Ecclesiæ Canonibus adversentur: at non ita verba

Prologi

Prologi habent, sed, si circa ea sunt statuta, quæ salutem Animæ concernunt. Quam verò neq; Superattendendum creatio in se & per se considerata, neq; ordinationes Ministrorum, neq; consignatio & asservatio bonorum Ecclesiasticorum, neq; census Cathedralis, neq; causarum dijudicationes (de his enim Solnæ actum) salutem animarum concernunt, sed ad eutaxiam, disciplinam, & conservationem nostrarum Ecclesiarum referuntur. Statuta igitur de his rebus facta, leges Hungarorū, nulla in parte convellunt: quid si etiam confirmant? Nam inter reliquas, etiam hæc notatu digna habetur: dum novæ leges fuerint introductæ; tunc secundum illas oportet iudicare, sive sint efficaces, sive mitiores prioribus. Et in Prologo: Lex contra legem Divinam nec populi assensu, nec consuetudine diuturna, est valida.

Tripart. 2.
Tit. 2.

Sed ut ad finem nostra perveniat Apologia, ostendimus jam scripto præsentis, nos in Synodo nostra Solnensi nihil, neq; verbo Dei, neque legibus & constitutionibus Regni contrarium sanxisse, dum Superattendentes & Inspectores Ecclesiis nostris Augustanam Confessionem profitentibus, vigore Articuli primi Posoniensis, in ipsa Serenissimi Regis nostri coronatione, sanciti & roborati, præfecimus, iisque eam quæ huic officio propria est, auctoritatem attribuimus. Quarè quòd Synodum no-

stram scommaticè Dominus Cardinalis pro-
 scindit, & totam hanc boni ordinis actionem
 perturbat, publicum ac saluberrimum Regni
 decretum conculcat, in nostros Superatten-
 dentes & Concionatores (in quos nullum ei
 jus) anathematum & excommunicationum
 diras jacit, atq; sic novam dissensionum odio-
 rumq; facem, in Regno, vixdum etiam pacato
 accendit: Nos coram Deo, & toto Christiano
 orbe, de injuriâ, contumelia, & minis, quibus
 nos immeritò lacepsit, protestamur. Nostras
 tantùm Ecclesias curamus, nostris consultum
 volumus: quæ alterius professionis sunt, inper-
 turbatas relinquimus, neminem irritantes. Non
 sumus Allotrioepiscopi, sed nostrum duntaxat
 facimus officium: tamen perturbatores Eccle-
 siæ, ab ipsissimo turbatore proclamamur. Vi-
 deat Deus, & judicet. Nos causam nostram
 illi commendamus, qui profectò semper & do-
 minatur, & dominabitur in medio inimicorum
 suorum, cujus omne consilium stabit, omnisq;
 voluntas fiet. Quòd Solnæ factum est, à Do-
 mino factum est, & est mirabile in oculis Mun-
 di, ideoq; non poterit dissolvi, ut rectè dixit
 quondam honorabilis legis Doctor Gamaliel.
 Non dubitamus etiam, tam sacratissimam Re-
 giam Majestatem, quàm universos inclyti
 Regni

Psal 110.
 Esa 46.
 Psal 118.
 Actor 5.

Regni ordines pacificarium de Religionis
 libertate & Superattendentium constitutione
 decretum, adversus eos, qui se illi Gi-
 gantea audacia opponunt, & litem
 de lite serunt, constanter
 defensuros esse &c.



AD

AD
LECTOREM
Candidum.

NACTENVS, OPTIME LECTOR, TIBI SYNODI sive Conventus, certorum Incliti Hungariæ Regni statuum & ordinum Augustanæ Confessionis, ex decem cis-Danubianis Comitatibus, Solnæ congregatorum, causas principales exposuimus, easq; contra Illustriss. ac Reverentiss. D. Cardinalis, Francisci Forgach de Ghimes &c. inhibitionem, Apologiam hac nostram, sufficienter, ut speramus, defendimus. Vt autem res ipsa deprehendas, scriptum hoc Cardinalitium, contra verbum Dei, & Sac. Regiæ Maiestatis Concessionem, indyctiq; Regni huius Constitutiones ex diametro pugnare, eaq; propter, ipso iure nullum, ac pro nullo habendum esse, eius tenorem de verbo ad verbum recudi, Apologiæq; nostræ subiungi curauimus. Tu, quisquis es, optime Lector, lege, iudica, & bruta eiusmodi fulmina Pontificia, exemplo multorum Regum & Principum, aliorumque rectè sentientium virorum, alto supercilio sperne.

NOS FRANCISCVS FORGACH DE GHIMES, S. ROMANÆ ECCLESIAE PRESBYTER Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, lociq; eiusdem Comes perpetuus, Primas Regni Vngariæ, Legatus Natus, Summus Cancellarius & Secretarius, ac Sac. Reg. Maiest. Consiliarius. Cum nos, licet immerentes, Divina bonitas, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensi præficere dignata sit, omni studio adnitendum nobis intelligimus, ut quantum iniquitas temporum patitur, ovibus Christi, curæ nostræ commissis, à Principe pastorem, ita consulamus, ut rationem reddituri de animabus, lupos ab ovibus Christi, etiam corporum nostrorum obiectu, arceamus, assiduamque vigilantiâ excubantes, velut in specula constituti, pericula eisdem denunciemus.

Quia

Quia igitur superioribus diebus, eod usque audacia illorum, qui Concionibus miseram plebeculam in errorum laqueos induunt, progressa est, ut coitionem quandam in oppidum Solnam indicerent, novo, ac antea in Vngaria inaudito exemplo, suae Lutheranae professionis Superattendentes eligerent, à quibus deinceps cætera ministrorum turba initiaretur, Leges denique ac decreta figerent, communi Iustitiæ, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus, Dei decretis contrarias, committere sine animæ nostræ discrimine non potuimus, quin palam, ac publicè, omnibus illius conventiculi actis, ac decretis, tanquam animarum æterno exitio, communitiquè Iustitiæ exterminandæ, natis, palam contradiceremus.

Principio igitur, non sine plurimarum animarum perditione, Superintendentis nomen usurpari, ab his novellis Ecclesiæ Dei turbatoribus, vel inde manifestè deprehenditur, quod ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis, postquam Apostolico ministerio, Ecclesiarum rectores Episcopi sunt constituti, nunquam pro legitimis recepti sint Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit: Nam, ut vetustissima Apostolicorum canonum decreta taceamus, Sacrosanctum ac Universale Concilium Nicænum primum (quod vel conferre, nedum æquare Solnensi Conciliabulo, sacrilegum foret) id quod ante usum receptum fuerat, lege sancivit, ut Episcopus non minus, quàm à tribus Episcopis ordinetur, ita tamen ut Metropolitanus Episcopus auctoritas habeatur, absque quo ordinatio irrita sit. si igitur periuri esse nolunt nuperi isti Superattendentes, suam ipsorum sententiã, Episcopi esse haud quaquam possunt, Nam, iure iurando adacti sunt, Non aliam doctrinam se propugnatueros ac promotueros, quàm Confessionem Augustanam. In ea verò Confessione, palam profitentur, se in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire, tantum paucos abusus omittant, qui novi sunt, & contra voluntatem Canonum, vicio temporum, recepti. Cum igitur con-

Canone 4.
apud Ruffi,
lib. 1. cap. 6.

Art. ultimo
Solnensi.

Conf. Augu.
Arti. 21. ini-
tio.

Arti. 7.
Solnens.

Liber Con-
cord. Epito.
Arti. Con-
troverfer.
Arti. 5.
Negat.

Ibi. in Affir-
mat. n. 8.
Ibid. Art. 1.
Negat. n. 6.

tra Nicænae Synodi vetustissimos ac sacrosanctos Canones Superintendentes se nominari sentiant, nisi Augustanae Confessionis, ac iurisiurandi violatores haberi velint, necesse est, falsò nominatos istas Superintendentes, ovina se veste Episcoporum, immeritò contegere, adeoque nullas ab ipsis legitimas Ministeriorum Ordinationes fieri, nullum ex iis Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, legitimè administrari, ab iis quos initiant: sed umbratilem ac vanam esse, quæ ab iis fit, Absolutionem, Eucharistiam, &c. Quæ quàm gravia miseræ plebeculæ incommoda, animarumquæ damna adferant, nemo est qui non videt.

Adde, quòd gravissimis, & ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis populò proponendis adstringit Solnense hoc Conventiculum, infelices Prædicantium animas: Cum enim statuit, ordinandos omnes, libro Concordiæ subscribere, id demum sancit, quod in libro Concordiæ disertim exprimitur, **Damnandam esse doctrinam quæ docet, Evangelium non esse tantummodo concionem de gratia Dei, sed propriè esse concionem de pœnitentia, arguentem, accusantem, damnantem peccata: Item, Docendum esse, passionem Christi proponere iram Dei adversus peccata, ut cognoscamus quanta Dominus in lege sua à nobis exigat, quorù tamen nihil nos præstare possumus, &c. Demum, Damnandos esse, qui docent, superesse in homine Capacitatem, aptitudinem, facultatè, industriam, aut vires, quib⁹, in rebus spiritualib⁹ Cooperari valeat, ad bonum aliquod: Hæc, aliàquè errorum portenta, sacro huic Conciliabulo ex libro Concordiæ approbata, eò nimirum spectant, ut apertum ac patens hominibus, uliro in malum ruentibus, exitium accersatur: Si enim nihil ex Divinæ legis præscripto agere possumus, Si ne Capacitas quidem in nobis hæret, ut Deo, moventi per gratiam, Cooperemur, Si Evangelium tantummodo gratiam denunciat, asperitatem pœnitentiæ, metum peccatorum**

eorum longissimè remòvet, Quid adhuc fatagimus, in sanctitate & Iustitia ambulare?

His accedit, quòd gravissimò quoquè usurpati Iuris alieni onere se prægravat hocce Conciliabulum, Nam Synodum abnuente Metropolitano indicere, Visitationes Ecclesiarum in aliena diocesi, bonorumquè Ecclesiasticorum dispositionem, in se derivare, privata autoritate, contra longissimi temporis Præscriptionem, Canonumquè, ac Legum patriæ sanctitas constitutiones, quid aliud est quàm rapere, ac sine ullo iuris ordine, alienum ius sibi usurpare?

Nullæ certè Vngariæ leges, ne quidem perturbatæ Reipub. temporibus latæ, ius tribuunt, vel censum Cathedraticum Archidiaconis adimendi, antiquaquè sæculorum aliquot possessione eos deturbandi, vel causas forum Ecclesiasticum concernentes ad has Episcoporum larvas deducendi, vel per viam Appellationis præsumptuosa ipsorum iudicia non declinandi: Et tamen Solnensis hæc pseudosynodus, & census Cathedralicos Archidiaconis, quorum antiquissima possessio certissimos origines habet, abiudicat, ac intrusis Superattendentibus suis adiudicat, & causas Ecclesiasticas eorum iudicio committit, & provocationem ab ipsorum diiudicatione, verat: Quæ omnia Iniustitiæ plenissima, Diuinis ac humanis Legibus, Decretisque Vngariæ adversantur, nec quidquam horum in publico regni conuentu definitum. Et quamvis defintum foret, Iplis tamen legibus Vngariæ suffragantibus, quidquid Sacris Canonibus Ecclesiæ adversatur, inualidum ac nullius firmitatis esse, altissimis radicibus nixæ leges Vngariæ definiunt.

Quæ omnia cum ita sint, Nos coram Deo, ac mundo universo protestamur, iniquas has novellæ coitionis sanctiones, Libertatis ac Iurisdictionis Ecclesiasticæ, animarūquè exitio laticas, Invalidas, Iniustas, ac nullius ponderis esse, & haberi debere: Districtequè ac sub pœna Excommunicationis inhibemus, ne, vel ipsi falsò intitulati Superattendentes, census Cathedralicos percipere, Ecclesias diocesis nostræ visitare, Ordinationes Ministrorum facere, causas forum Ecclesiasticum concernentes diiudicare, nedum Appellationes prohibere, præsumant: Inhibemus item, & sub Anathematis vinculo vetamus, ne ullus censum Cathedraticum, aliis, quàm quibus ab antiquo penderat,

Prologo
Tripart.

bat, dare præsumat, neve ad Pseudosuperintendentium diu-
dicationem, causam ullam fori Ecclesiastici deducat: Ac nihilo-
ominus Reverendissimis in Christo fratribus Episcopis dioce-
sis nostræ Strigoniensis, nec non Dilectis filiis Præpositis, A-
batibus, Archidiaconis, cæterisque omnibus, ad quos hæc res
spectare dignoscitur, iniungimus ac mandamus, ne quidquam
de iure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo ius habuisse digno-
seuntur, remittant, census Cathedralicos exigant, ac suæ Jurisdic-
tioni subiectos Ministros, si qui fortè illorum, causam Ecclesia-
sticam ad Novitium aliquod tribunal deducant, ad forum
spirituale evocatos, ac iuris Ordine convictos, irremissibilitè
puniant:

Cæterum volumus ut hæc nostra Protestatio, Contra-
dictio, Inhibitio, ac præceptum, quod facilius ad manus pluri-
morum pervenire possint, Typis excudantur, eademque fides
excusis exemplaribus habeatur, ac si ipsæ Originales manu
nostra subscriptæ, ac sigillo munitæ exhiberentur.

Datum Posoni in aula nostra Archiepis-
copali, Die XVII. Aprilis.

ANNO M. DC. X.



MALLEVS

PENICVLI PAPISTICI,
ADVERSVS APOLOGIAM SOL-
nenſis Synodi editi.

Id eſt,

REFVTATIO

ERRORVM, CALVMNIARVM,
ET MENDACIORVM, QVIBVS ET DO-
ctrinam Evangelij libro Concordiæ com-
prehenſam, & dignitatem Superattenden-
tium, adeoq; Miniſtrorum Eccleſiæ, in
Apologia Synodi aſſertam, ſcriptor qui-
dam Pontificius, ſub IOANNIS IEMI-
CII nomine allatravit.

Scribebat PETRVS PETSCHIVS
Minifter Eccleſiæ Freywaldenſis.



*p. Leubas ſub
hoc nomine ſe
Pazmany. vide et
ranyu Memoir.*

CASSOVIÆ Hungar. P. III. p. 60

Imprimebat Iohannes Fiſcher.

M. DC. XII.

MALLEVS

PENICVLI PAPISTICI,
ADVERSVS APOLOGIAM SOL-
nenſis Synodi editi.

Id eſt,

REFVTATIO

ERRORVM, CALVMNIARVM,
ET MENDACIORVM, QVIBVS ET DO-
ctrinam Evangelij libro Concordiæ com-
prehenſam, & dignitatem Superattenden-
tium, adeoq; Miniſtrorum Eccleſiæ, in
Apologia Synodi aſſertam, ſcriptor qui-
dam Pontificius, ſub IOANNIS IEMI-
CII nomine allatravit.

Scribebat PETRVS PETSCHIVS
Minifter Eccleſiæ Freywaldenſis.



*p. Leuebas ſub
hoc nomine ſe
Cazmany. vide etc.
ranyu Memoir.*

CASSOVI *Bohemiæ P. III. p. 60*

Imprimebat Iohannes Fiſcher.

M. DC. XII.

